DE LEGATO ET ABSOLV-
TO PRINCIPE PERDV-
ELLIONIS REO.



OXONIÆ,
TYPIS IOSEPHI BARNESII. 1587.

8° G. 3. Art. Bs.

8o (1) 14 32

VTRVM legatus alicuius principis absoluti, vel ipse princeps absolutus morte sit afficiendus, si in aliena republica, contra vitam principis, vel salutem totius reipublicæ, nefariam coniurationẽ fuerint machinati? quòd sic.

TRIA *sunt argumenta quibus potissimum in hanc sententiam sum adductus.*

Primum est huiusmodi.

Iure naturæ communis hominum societas est conseruãda, conseruari non potest nisi mali tollantur è medio, sunt igitur mali tollendi è medio.

Maior est iurisconsultorum, Ciceronis, & Philosophorũ omnium. Cuius ratio petita videtur ex L. vt vim. 3. ff. de iusti. & iu. vbi iurisconsultus Florentinus concludit, hominem homini insidiari nefas esse, quia inter nos cognationem quandam natura constituit. Et certé si animalia quæ sunt eiusdem generis, idem genus conseruari cupiant, homines humanam societatem multo magis tueri debent. Minor est aperti iuris. Certum est enim iuris gentiũ axioma, communẽ hominũ societatẽ conseruari non posse, nisi mali tollantur è medio, quia omnis eorum vita, omne studium, in rapinis & bonorum internecionibus consumitur. At legatus vel princeps absolutus in aliena republica, principis vel reipublicæ perniciem conspirantes, mali sunt, est enim hoc in confesso, nam ipsa fundamenta societatis humanæ labefactare conantur, sunt igitur è medio tollendi. Quum autem dico malos esse tollẽdos è medio, vtiq; eos intelligo, qui ea scelera per-

 petrant,

pertract, quæ iure ciuili, quod indubitatò è fontibus iuris naturalis & iuris gentium fluxit, vltimo supplicio vindicantur. Cuiusmodi sunt crimen læsæ maiestatis, adulterium, masculorum concubitus, homicidium, veneficiũ, parricidium, crimen plagij, & similia, de quibus inst. de pub. iudi. & passim per vniuersum iuris ciuilis corpus pertractatur. Duæ sunt rationes tollendi malos è medio, vel per iudicia, si rei sunt in nostra potestate, vel per bella, si extra limites iurisdictionis vel potestatis nostræ constituti, iustam nobis arma sumendi causam dederint. Si iudicia valere possunt, frustra bellum accersitur: si nullus iudicijs locus est relictus, ad bellum necessarió confugiendum est. At quo genere mortis cruciandi sunt qui sanguinem principum sitiunt, vel rerumpublicarum euersiones moliuntur? de genere mortis non adeò curiosè disseram, modo mortẽ irrogandam esse concedatur. Iure ciuili, perduellionis reus vltore gladio feritur, id est, vt ego interpretor, caput ei tantum abscinditur, bona eius omnia fisco addicuntur, filij verò quibus vita imperatoria specialiter lenitate conceditur, (paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni, hoc est hæreditarij criminis exempla metuuntur) à materna, vel auita, omnium etiam proximorum hæreditate ac successione habentur alieni, testamentis extraneorum nihil capiunt, sunt perpetuò egentes & pauperes, infamia eos paterna semper comitatur, ad nullos vnquam honores, ad nulla sacramenta perueniunt, sunt postremò tales, vt his perpetua egestate sordentibus, sit & mors solatio, & vita supplicio. Ad filias vero ipsius Falcidia tantum ex bonis matris, siue testato, siue intestato decesserit, pertinebit. Mitior enim circa eas promulgatur sententia, quas pro infirmitate sexus minus austeras esse confidit ur. Dotes, donationes

donationes, quarumlibet postremò rerum alienationes, quas ex eo tempore qualibet fraude vel iure factas esse constiterit, quo primum reus de ineunda factione ac societate cogitauerit, nullius statuitur esse momenti. Vxor sane, earum rerum quas à viro titulo donationis accepit vt filijs reseruaret, vsumfructum quidem retinebit, post mortem verò eius applicabitur fisco, nisi quòd Falcidia ex his etiam rebus filiabus tantum non etiam filijs deputabitur. Hæc omnia fusissimè & elegantissimè persequuntur Imperatores Honorius & Arcadius in l. quisquis. 5. C. ad l. Iul: maiest. iure municipali nostro Anglorum (horresco referens, neq; tamen acerbitatem pœnæ minuendã puto) masculus ad exiguum temporis spatium suspenditur, viuus inde tollitur, virilia, viscera, ipso adhuc spirante atq; adeo inspectante, conijciuntur in ignem, caput amputatur, membratim instar pecudis in quatuor partes dissecatur, caput deinde, membra, sepulturæ honore destituta, in aliquo conspicuo ciuitatis loco, qua vulgus iter frequentissimè facit, affiguntur: fœmina verò concrematur igne. Bona rei fisco quidem addicuntur, sed nõ omnia. Vtinam liceret omnia dicere. Vtinam reliquæ pœnæ iuris ciuilis superius memoratæ quantum ad liberos, & bonorum alienationes, vel etiam debitorum solutiones vt in l. fi. C. eo. ti. Vim legis apud nos obtinerẽt. Proculdubio aut meus me animus vehementer fallit, aut hac saltem ratione frænum vel maximum turbulentissimis spiritibus inijceretur. Sed longius prouectus sum quàm putaram. Huius igitur articuli decisionem quantum ad genus mortis, legibus cuiusq; gentis positiuis non immerito relinquendam existimarem. Atq; hæc pro primo argumento è iure naturali & gentium desumpto. Quæ sequuntur, ad iuris ciuilis naturã magis accedunt.

Secundum Argumentum.

Si præses prouincię imperium habet aduersus extraneos homines, si quid mali cõmiserint, nec distinguetur vnde sint, multo magis habet princeps absolutus, sed habet præses prouincię, ergo & Princeps absolutus. Sequela maioris ex eo patet, quia præses est inferior principe, nec est inferiori concedendum quod superiori negatur. Præterea, præses semper habet limitatam & restrictam iurisdictionem, princeps absolutus ordinarium & nullis vinculis circumscriptum imperium. Minor probatur ex L. præses. 3. ff. de offi. præsi. vbi Paulus iurisconsultus in hæc verba. habet præses interdum imperium & aduersus extraneos homines si quid mali commiserint. Nam & in mandatis principum est, vt curet is qui prouincię præest, malis hominibus prouinciã purgare, nec distinguitur vnde sint. Quum itaq; lex non distinguat vnde sint extranei, id est, vt ego interpretor, vel ex territorio suorũ principum, vel externorũ, imo quum lex nõ distinguat quales sint extranei vt ego addo, siue legati siue principes, certé nec nos distinguere debemus. Quòd autẽ non sit distinguendũ a nobis vbi non distinguitur a lege, probatur ex L. prospexit. 12. in prin. ff. qui & a quib. manu. libe. non fi. vbi Vlpianus legislatorem prospexisse dicit, ne mulier a viro propter adulterium discedẽs infra certum tẽpus vllum omnino seruum suũ manumitteret vel alienaret. An igitur eũ seruũ qui extra ministeriũ eius mulieris fuit vel in agro vel in prouincia, quem non est verisimile aliquid de adulterio in vrbe commisso posse scire, prohibetur manumittere vel alienare? Respondet prohiberi. An si seruum post diuortium acquisierit mulier, etiam & hunc prohibetur manumittere vel alienare? respondet prohiberi. Quod quidem,

inquit

inquit, perquàm durum est, sed ita lex scripta est.

Tertium Argumentum.

VBi quis deliquit ibi puniri potest, sed legatus Hispanicus & regina Scotica deliquerunt in Anglia, ergo & ibi puniri possunt. Maior probatur ex L. 1. C. vbi de crimi. agi opor. vbi inter cætera statuit imperator Antoninus, quæstiones criminum ibi debere perfici, vbi sunt commissa. Et in Autentica, qua in prouincia, eod. ti. Iustinianus. Qua in prouincia quis deliquit, vel criminum reus fuerit, illic & iuri subiaceat, quod ius perpetuum est. Si igitur, inquit, ambo sint in prouincia, id est, tam accusator quàm reus, illic omni priuilegio cessante res expediatur. & in L. 1. C. Vbi senato. vel clariss. cim. vel crimi. con. Imperator Constantinus. Quicunque clarissima dignitate præditus virginem rapuerit, vel fines aliquos inuaserit, vel in aliqua culpa vel crimine fuerit deprehensus, infra prouinciam in qua facinus perpetrauerit, publicis subiugetur legibus, nec fori præscriptione vtatur: omnem enim huiusmodi honorem reatus excludit. sic in L. fi. ff. de accus. & inscrip. Papinianus. Alterius prouinciæ reus apud eos accusatur & condemnatur, apud quos crimen contractum ostenditur, quod etiam in militibus est obseruandum. Quum ergo nec militia præstet immunitatem, nec clarissima dignitas, nec priuilegium quodcunq; fori præscriptionem tribuat, maior indubitati iuris est habenda, vbi quis deliquit ibi puniri potest. Verum enimuero, dices, omnes leges hactenus allegatæ nimis sunt generales, & quæstionem institutam de legato & absoluto principe parum aut nihil urget. Præterea loquuntur de criminibus in aliqua prouincia designatis, quæ simul cum alia prouincia, vnde reus est profectus, vnius imperio subijcitur, sic vt incompetentia iudicis obij-

si nullo modo queat. Ad primam harum obiectionum diluendã adduco hanc rationem. Legati tenentur ex contractibus, ergo ex delictis. Antecedens probatur ex L. 2. §. legatis ff. de iudi. vbi Iurisconsultus Vlpianus expressim ita loquitur. Legatis in eo quod ante legationem contraxerunt, reuocandi domum ius habent, sed si ibi contraxerint, vbi conueniuntur, non habent hoc priuilegium vt in §. omnes autem ibid. & paulo post. Si extra prouinciam suam contraxerũt, an ibi vbi legatione fungũtur conuenire possunt? Respondet Marcellus in §. item si extra ibid. in eo solo vti eos priuilegio domum reuocandi, quod in ciuitate sua, vel certé infra prouinciam suam contraxerunt, quod est verum inquit Vlpianus. Glossator hoc loci specifice ponit exemplũ in legato Hispanico contrahente in Anglia, quem non habere ius reuocandi domum asserit. Ad hoc omnium apertissimé L. si legationis. 25. ff. de iudi. vti Iulianus. Si legationis tempore quis seruum vel aliam rem emerit, aut ex alia causa possidere cæperit, non iniqué cogetur eius nomine iudicium accipere, subiungit insignem rationem, aliter enim potestas daretur legatis sub hac specie res alienas domum auferendi, argumentum probatur ex L. omnem, 20. ff. de iudi. Vnde colligunt omnes interpretes, A contractibus ad delicta valere argumentum, tum quantum ad obligationem inducendam vt D. L. omnem, tum quantum ad sortiendum forum, vt quemadmodum in loco contractus quis sortitur forum, L. hæres absens. 19. ff. de iudi. ita & in loco delicti, Auten. qua in prouincia C. vbi de crimin. agi oportet. Imo, vt ego arbitror, si legati pro contractibus tempore legationis initis tenentur, vt suprà docui, multo magis obligãtur pro maleficijs. Nam impunita maleficia esse non oportet. L. ita vulneratus. 51. ff. ad L. Aquil. vbi Iulianus

Iulianus quærit, si quis morti serum vulnus seruo inflixerit, & ex interuallo alius percusserit vt maturius interficeretur quàm ex priore vulnere moriturus fuerat, an vterque de occiso teneatur? Respondet teneri. Progreditur iurisconsultus ad alium casum. Quid si seruus a pluribus ita vulneratus sit, vt non appareat cuius ictu perierit, an omnes de occiso teneãtur? Respondet teneri. quòd si quis, inquit, absurdè a nobis hæc cõstitui putauerit, cogitet longé absurdius esse neutrum lege Aquilia teneri, aut alterum potius: quum neque impunita maleficia esse oporteat, nec facile constitui possit vter potius lege teneatur. Pergit adhuc iurisconsultus: multa iure ciuili contra rationem disputandi pro vtilitate communi recepta sunt. Quum plures, inquit, trabem alienam furandi causa sustulerint, quam singuli ferre non possent, furti actione omnes teneri existimantur, quamuis subtili ratione dici possit, neminem eorum teneri, quia neminem verum sit eam sustulisse. Videtis ex hac lege maluisse iurisconsultum aliquo modo crudelitatis suspicionem incurrere, quàm hoc absurdi sequeretur, impunita maleficia relinqui oportet. Quòd si quis replicet, quòd legati quidem tenentur ex contractibus, quia sunt iuris gentium, vt §. ius autem gentium insti. de iure natu. genti. & ci. non autem ex maleficijs, quasi verò, vt iure gentium contractus seruare deceat, eodem etiam iure non sit prohibitum delicta, maleficia, & si quæ turpia sunt, perpetrare. Verum pro decisione huius articuli, quòd scilicet legati teneantur ex maleficijs, vnica Pauli iurisconsulti authoritate, ad omne subterfugium occludendum, acquiescam, qui in L. non alias, 24 ff. de iudi. ita loquitur. Legati ex delictis in legatione commissis cogũtur Romæ iudicium pati (scilicet si Romæ deliquerint) siue ipsi ad-

uenerunt,

miserunt, siue serui eorum. Et quanquam de priuatis delictis obijci possit locutum esse iurisconsultum, tamen non video quin idem de publicis criminibus multo magis affirmasset. At, inquis, habet legatus mandatum a domino bellum denunciandi? Ostendat mandatum, denunciet bellum, liber esto. nam ex hac aperta agendi ratione, nihil periculi principibus, aut rebusp. creatur. At conuentus perduellionis ergo, dicit se habere mandatum ad hoc speciale sine scriptis? Aut non potest docere de mandato, & tanquam priuatus punitur tum propter mendacium, tum propter facinus attentatum: aut docere potest de mandato principis sui, & tunc bellum ipsius domino inferri potest, & nihilominus supplicium de legato prout meritus est acerbissimum sumi. Nam si non ignoscitur seruis in his quæ habent atrocitatem sceleris, si dominis, vel his qui vice dominorum sunt obtemperauerint, L. ad ea 157. ff. de reg. iu. omnia autem capitalia crimina sceleris atrocitatem in se complectantur, vt glossator eo loci docet, certè nec legatis in atrocissimis facinoribus parcitur, si dominis suis plus æquo fuerint obsequentes. Hactenus de legato. Nunc de principe absoluto pauca, quoniam in specie nihil ius ciuile de hac quæstione, quantum ego scio, definiat. si itaque legatus in alieno territorio delinquens ibi puniri potest, ergo & princeps absolutus, at legatus potest vt supra probauimus, ergo & princeps. Sequela maioris patet ex eo, quia legatus, principis personam sustinet atque adeo repræsentat: itaque non debet admitti in persona delegati vel mandatarij, quod in delegantem vel mandantem non quadrat. Sed delegatus a principe tenetur ex delicto, ergo & delegans. Hoc autem verissimum esse puto, siue princeps in alienam ditionem sua voluntate venerit, siue ca-

su

su fortuito delatus appulerit. Nam utroque casu, vitæ alterius principis insidias struendo, vel in eius regnum cuniculos agendo, sacratissima iura hospitij, quo nihil apud maiores nostros sanctius habitum est, violat atque perfringit. Is autem omnium maximé violat, qui inimicorum suorum vim & cruenta tela fugiens, in alterius principis tutelam & clientelam est receptus: nec receptus modò, sed quum semel & sæpius ab inimicis ad meritissimum supplicium deposceretur, tutissimo perfugio cõmunitus: & quum ibi iustissimis de causis detineretur, per multos annos, omni officiorum genere & humanitatis, cumulatissimus: neque id solum, sed pro multis nefarijs & horrendis conspirationibus sæpissimé condonatus. An non immane facinus & instar parricidij meritò iudiciabitur, vitam illi & sanguinem eripere conari, qui vitam sibi prius multoties dederit? Sed quid consector huiusmodi argumẽta? Quæro num liceat iustis de causis bellum inferre principibus absolutis? Fatentur omnes. Quid ni igitur & principes bello capere, immo etiam & interficere, non solum in eius territorio qui bellum infert, sed etiam in visceribus eius ipsius regni, qui belli causam dedit. Si igitur hoc in bello, ex communi omnium gentium iure iustum & æquum censetur, qui minus in pace iustum censebitur? Quum illic tumultuariè multa, & ex affectu vindicta, hic omnia ordine & iudiciario more ac modo terminentur & decidantur. Hæc pro prima obiectione sufficiant. Ad secundam refellendam sic procedo. Vbi est eadem ratio, ibi & idem ius est statuendum, sed eadem est ratio delinquentis in aliena prouincia siue eidẽ superiori sit subiecta, cum alia prouincia vnde reus proficiscitur, siue non sit subiecta, ergo & idem ius statuendum. Maior probatur insti. de legi. patro. tute. vbi quum

lex

lex 12. tabularum proximos agnatos quos ad hereditates vocet, eosdē & tutores esse inbeat, colligit imperator quòd patroni & eorum liberi qui vocantur ad hereditates libertorum suorum si intestatò decesserint, idcirco vocantur etiam ad eorum tutelas: nam eadem est vtrobique ratio. Minor exemplo fiet dilucidior. Quidam Anglus mercator traiecit in Hiberniam, traiecit etiā mercator quidam Hispanus: vterque reus laesa maiestatis deprehenditur: quum ad causa cognitionem esset ventum, allegauit Hispanus praesidē prouinciae non esse suum iudicem: hoc idem affirmatur ab Anglo: proinde neutrum puniri posse. Sed vt vsus, & rerum experientia docet, punitur Anglus non obstante quocunque praetextu non sui iudicis, idq; ratione delicti, proinde quum eadem sit ratio etiam in Hispano, punietur Hispanus ratione delicti. Sed non insistam hoc argumento. In l. non dubito. 7. ff. de capti. & postli. reuer. Iurisconsultus Proculus ita scribit. Non dubito quin foederati & liberi (per liberos intellegit non foederatos quoscunque) nobis extranei sint. At si sunt rei apud nos ex foederatis ciuitatibus, & in eos damnatos animaduertimus. Neq; tamen foederati eundem nobiscum superiorem dominum recognoscunt. Si hoc in foederatis obtinet, idem multo magis in liberis, id est, non foederatis quibuscunq; si apud nos deliquerint, decernendum est. Nam si exceptio valeret in non foederatis, quòd sint extranei, quòd alteri regi subijciantur, vel ipsi sint principes absoluti, vtiq; locum haberet in his qui arctissimo foederis vinculo nobis sunt coniunctissimi, quia socijs parcendum esset potius quàm meré extraneis: sed in istis non habet locum vt d. l. 7. ff. de cap. ergo nec in illis. Verum hoc l. inquies, loquitur in priuatis extraneis tantùm, non in legatis extraneis, non in principibus.

Nam

Nam isti publicarum personarum vices gerunt, itaque quodam priuilegio, quadam immunitate, circumuallantur. Num ad peccandum liberi sunt? An habent specialem prerogatiuam rebus publicis, in quibus commorantur, vastitatem, principibus exitium, comparandi? Quis est finis, quæso, in alienas regiones commigrandi? An non vt pax inter vicinos principes coalescat, bellorumq; flamma restinguantur? Proinde tanto maiore supplicio digni sunt, quanto maiorem amicitiæ speciem præsefe-runt. Atq; hæc sunt vt tandem aliquando vela contrabam, quæ in confirmationem maioris tertij argumenti proferenda duxi, nimirum, vbi quis deliquit ibi puniri potest. Minor, quæ est huiusmodi, sed legatus Hispanicus & Regina Scotica deliquerunt in Anglia, probatur ex actis & monumentis publicis, ad quæ breuitatis causa me refero, præcipuè verò ad libellum illum qui complectitur causas, quibus Elizabetha serenissima Regina Angliæ, ad subuenendum miseris & afflictis Belgis est inducta, Londini excusum, 1585. vbi tractatur de Bernardino Mendoza: & ad edictum regium, siue proclamationem (vt loquuntur,) pro declaratione sententiæ nuper editæ & promulgatæ, contra Reginam Scoticam, 4. Decemb. 1586. Sequitur conclusio, quòd scilicet legatus Hispanicus & Regina Scotica possunt in Anglia puniri. Verum contra prædicta omnia quæ hactenus commemorantur, potest obijci, primò, q; legati nõ sunt pulsandi l. si. ff. de legati. vti Quintus Mutius, eum qui legatos pulsasset, dedi hostibus quorum sunt legati, solitus est respondere. Quòd si legati non sunt pulsandi, multo minus occidendi: si legati non sunt pulsandi vel occidendi, certè nec principes. Respondeo verũ hoc esse, quãdiu sese honestè gesserint, nec committant in leges, præsertim naturæ leges

&

& iuris gentium, cuiusmodi sunt cõtractus & meleficia, tum enim merito retorquetur in eos regula iuris, frustra legum auxilium implorant qui in leges committunt. l. auxilium. 37. ff. de minor. vbi Tryphoninus iurisconsultus concludit nullam esse minori. 25. annis deprecationem adulterij pœnæ, si se adulterũ fateatur: sed nec si quid eorũ commiserit quæ pro adulterio lex Iulia punit, veluti si adulterij damnatam sciens vxorem duxerit, aut in adulterio deprehensam vxorem non dimiserit, quæstumué de adulterio vxoris fecerit, pretiumue pro comperto stupro acceperit, aut domũ præbuerit ad stuprum adulterijue in ea committendum, quia non sit ætatis excusatio aduersus præcepta legum ei, qui dum leges inuocat, contra eas committit. Si ita aq; minori, cuius causa in iure maximè fauorabilis est, non parcitur in atrocioribus delictis, multo minus maiori, in execrandis flagitijs, siue legato seu principi condonabitur. Secundò potest obijci q; par in parem, vel minor in maiorẽ nõ habet imperiũ. l. 3. §. fi. & l. 4. ff. de recep. arbi. respondeo verum hoc esse quamdiu par vel maior fuerit, sed si par vel maior desierit, vel per contractum, vel per delictũ, vel per captiuitatem, vt suprà docuimus, tunc nihil impedit quo minus a principe alterius gentis conueniri & puniri possit. Tertio potest obijci, exempla esse in contrarium, nimirum de his qui legatos remiserint, at q; adeo principes absolutos, læsæ maiestatis reos. Respondeo, non exemplis sed legibus esse viuendum l. sed licet. 12. ff. de offi. præsi. vti iurisconsultus Proculus in hæc verba: Licet is qui prouinciæ præest omnium Romæ magistratuum vice & officio fungi debeat, non tamen spectandum est quid Romæ factum est, quàm quid fieri debeat. Nam exempla, facta tantum ostendunt, non ius proponunt. Et si quid ego colligo, hæc remissio legatorum vel principum, quam raro ad-

modum euenisse credo, videtur in contemptum & ignominiã esse facta, quasi legatorum domini vel principes ipsi nullarum planè virium essent vel haberẽtur, ad aliquod damnum illis importandum, qui amandandos esse censuerunt: vel si vires non defuisse putarunt ad nocendũ, tamen ex hac remissione, excelsi cuiusdam animi generositatem & magnanimitatẽ iactitare, & inanẽ nescio quã gloriolam captare voluerunt. Quarto potest obijci, quod effectus non affectus punitur. l. fugitiuus. 223. ff. de verbo. signi. vbi Tryphoninus iurisconsultus dicit fugitiuum non esse qui consilium fugiendi à domino susceperit, sed qui in ipsum factum fugæ, initium mentis deduxerit: nec furem, adulterum, aleatorem ex animi propositione cuiusq; sola consistere (quanquam & hoc aliqua significatione dici possit, quoniam hæc crimina assumpto actu intelliguntur. Respondeo verum id esse in casibus dictæ legis & alijs plærisq;, sed in crimine læsæ maiestatis, speciale quiddam est ex interpretũ sententia, voluntatẽ sceleris eadem seueritate qua effectum puniri, vt in l. quisquis. 5. C. ad l. Iul. maiest. ratio differentiæ, quantum ego suspicor, potest esse, quia in fuga serui, furto, adulterio & similibus, priuatum interesse principaliter vertitur: at in crimine læsæ maiestatis, vtilitas publica in discrimen adducitur, ideoque res pessimi exempli rebus publicis semper habebatur, nolle vel ipsa molimina sceleris huiusmodi seueriss̃imis legibus castigare. Quid quòd in hoc crimine eadem pœna irrogatur, si quis cum alijs operam suam præbuerit, quamuis autor sceleris non extiterit; immo, si quis vel tantum conscius fuerit d. L. 5. C. §. id quod. Neque mirum cuiquam videri debet, quòd affectus hîc perinde atque effectus puniatur, quum etiam in alijs criminibus longè minoris momenti, idem vsu venire soleat. Vt si quis virginem sacrã

non dicam nocere, sed attentare tantum interimendi causa matrimonij fuerit ausus, capitali pœna feriatur. L. si quis 5. C. de epis. & cleri. sic qui venenum emerit vt patri daret, quamuis non potuit dare, tenetur lege Cornelia de sicarijs, vt L. 1. ff. ad L. Pomp. de parri. sic si quis ambulauerit cum telo hominis occidendi causa, tenetur lege Cornelia de sicarijs, perinde atque si occidisset, L. is qui 7. C. ad L. Cornel. de sica. & insti. de pub. iudi. §. Item lex Cornelia, qua vt ibi dicitur homicidas vltore ferro persequitur, vel eos qui hominis occidendi causa cum telo ambulant. Idem in alijs multis legibus confirmatur, quibus brevitatis causa supersedeo. His ita constitutis atque probatis, non obstantibus in contrarium obiectionibus quibuscunque, concludo Legatum, vel Principem absolutum, in aliena Republica crimen perduellionis perpetrantem, ipsa morte mulctandum esse.

FINIS.

DE VENETORVM EXCOMMVNICATIONE,

ADVERSVS CÆSAREM BARONIVM E. R. CARDINALEM Dissertatio.

In quâ, vera Excommunicationis ratio tum ex Sacrâ Scripturâ, tum ex antiquis Ecclesiæ Christianæ monumentis breviter & dilucidè demonstratur.

Autore Nicolao Vignerio.

BIBLIOTECA NAZIONALE MARCIANA

SALMVRI,
Prostant exemplaria apud THOMAM PORTAV.

M. DC. VI.